



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput IX. Idem in Concilio (a) Generali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

ubi supra, num. 23. qui ex Valenzuela, & aliis late probat, quod etsi prohibeantur clerici esse tabelliones, adhuc si officium exercuerint, instrumenta ab eis confecta mero jure valebunt. Alia ex ratione Decurionibus prohibetur illud officium exercere in l. 3. C. Theodos. de Decur. cujus pars extat in d. l. 34. C. de Decur. & ibi exponit Amaya. Possunt clerici etiam in sacris ordinibus constituti Notarii officium exercere in causis spi-

ritualibus, de quibus causis accipiendus est textus in cap. 2. ibi: *Notarii gestis officium*, 32. dist. & ita fieri in diocesi Placentina testatur Azevedo in d. l. 10. & in Compottellana ex Concil. Compottel. Salmantica celebrato anno 1565. Similiter in causis fidei clerici non tantum admittuntur, verum & cogi possunt Notarii officium exercere, cap. ut officium, §. ad conscribenda, de heret. lib. 6. post Pennam & alios probat Acunna in cap. 2. 32. dist.

C A P U T IX.

Idem in Concilio (a) Generali.

Sententiam sanguinis nullus dicat (b) clericus, aut (c) proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, (d) intersit. Si quis autem hujus occasione statuti Ecclesie, vel Ecclesiasticis personis aliquod præsumpserit inferre dispendium, per cens. eccl. compeccatur: nec quisquam clericus literas dicat, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas: unde in Curiis Principum hæc sollicitudo non clericis, sed laicis committatur. Nullus quoque clericus (e) ruptariis, aut ballistariis, aut hujusmodi viris sanguinis præponatur, nec illam chirurgiæ partem Subdiaconus, Diaconus, aut Sacerdos exerceat, quæ vel ad ustionem, vel [f] incisionem inducit. Nec quisquam [g] purgationi aquæ ferventis, vel frigidæ, seu ferri candentis ritum cujuslibet benedictionis, aut consecrationis impendat, talis nihilominus prohibitionibus de [h] monomachiis, five duellis antea promulgatis.

N O T Æ.

(a) **G**enerali.] Lateranensi videlicet, celebrato sub Innocentio III. ubi cap. 18. refertur textus hic, & in quarta collectione, sub hostit. c. 2.

Sententiam sanguinis.] Hanc partem exposui supra in cap. 3.

(b) **N**ullus clericus.] His verbis generalibus usi sunt PP. ut nulla ambigendi occasio daretur, an Alexandri constitutio relata supra in d. cap. 3. protrahenda esset ad clericos in minoribus ordinibus constitutos.

(c) **D**icat, aut proferat.] Dicit sententiam qui tanquam iudex, consiliarius, vel assessor eam concipit; profert autem, qui eam pro tribunali, aut ubi jus dicitur, eam recitat, ut exponit Boëtius Epon. in presenti, n. 8.

(d) **A**ut intersit.] Auctoritative, videlicet executioni sententiæ quasi opem ferendo, cap. ex litteris, de excess. Prelat. cap. perniciosæ, de poenit. dist. 1. can. 33. Concil. Alstisod. non verò prohibentur clerici comitari ipsum reum ex pietate pro ipsius animæ salutē, ut probat Boëtius Epon. hic num. 10.

(e) **R**uptariis.] Rotarii legitur in ipso canone 18. Concilii Later. & apud Innoc. III. lib. 3. registr. 15. epist. 41. à rota, cujus nomine pars exercitus venit; unde Rotarii sunt milites ad eam cohortem, seu turmam spectantes, ut patet ex Niceta Choniata lib. ult. de Imperio Balduini, ibi: *Itaque partem exercitus, que militatus sue causâ sequi vellet (Rotam ipsi vocant) ablegarunt. potestate datâ urbes, que defecissent, suo arbitratu tractands. Ea cohors antegressa à nullo scelere, & à nullo piaculo abhorruit.* Guillelmo Neubrig. lib. 2. de rebus Angliæ, cap. 27. ibi: *Stipendiarios Brabantium copias, quos rotas*

vocant, accerserunt. Et lib. 5. cap. 15. *Quippe Rex, qui stipendiariam militiam, quam rotas vocant, Dicebantur etiam ruptarii. Innoc. III. lib. 1. registr. 13. epist. 92. ibi: Ad expellendum quoque ruptarios, & Brabantios. Mathæus Paris. in Henrico II. ad annum 1174. pag. 128. ibi: Nunciatum est ei eadem Regis filii sui militiam apud Dolens urbem à Brabantis & Ruptariis circumclusam. Et pag. 129. Sed priusquam veniret, hostium suorum maxima multitudo à suis ruptariis fuerat intrinsepta. Notarunt Joan. Vossius de vitis ferm. lib. 2. cap. 17. Paul. Idumay in not. ad Innoc. III. d. lib. 3. epist. 41.*

(f) **I**ncisionem.] Per se videlicet; nam jubere possunt clerici, qui medicinæ artem exercent, incisionem facere, can. 8. Synod. Constantinop. ibi: *Quamobrem decrevit sancta Synodus, ut si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus castrare aliquem convictus fuerit, vel manu propria, vel suo jussu, is depositioni subjiciatur. Si sit autem laicus, segregetur, præterquam si morbus, qui alicui accidit, ad eum exsecandum, & castrandum coegerit, quem admodum enim Nicæna prima Synodi canon, eos qui morbo exsecati sunt, non punit, propter morbum; sic & nos nec sacerdotes, qui egrotos castrari mandant, condemnamus; nec laicos, qui propriis manibus ad castrationem ununtur, reprehendimus; hoc enim morbi esse medelam, non autem creaturæ insidias fieri, vel opificum injuriâ afficere, existimamus. Probat Theophilus Raynaud. tom. 7. de relig. licitato, fol. 200. Quatenus tamen liceat clericis medicinam exercere, exposui in cap. ad auro, de etate & qualitate.*

(g) **P**urgationi.] De qua late agemus, Deo lente, in tit. de purgat. vulgar.

(h) **M**onomachiis.] Ut dicemus in cap. unic. de cler. pug. in duell.